

INCIPIT ABDIAS PROPHETA

¹ Visio Abdiæ. [Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit: surgite, et consurgamus adversus eum in prælium.

² Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde.

³ Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?

⁴ Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

⁵ Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?

⁶ Quomodo scrutati sunt Esau; investigaverunt abscondita ejus?

⁷ Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: invaluerunt adversum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum, ponent insidias subter te; non est prudentia in eo.

⁸ Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau?

⁹ Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de monte Esau.

¹⁰ Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum.

¹¹ In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.

¹² Et non despicias in die fratris tui, in die peregrinationis ejus: et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum: et non magnificabis os tuum in die angustiae.

¹³ Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum; neque despicias et tu in malis ejus in die vastitatis illius. Et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius,

¹⁴ neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos ejus in die tribulationis.

¹⁵ Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum.

¹⁶ Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint.

¹⁷ Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus; et possidebit domus Jacob eos qui se possederant.

¹⁸ Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula: et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquiae domus Esau, quia Dominus locutus est.

¹⁹ Et hæreditabunt hi, qui ad austrum sunt, montem Esau, et qui in campestribus,

Philistiim: et possidebunt regionem Ephraim et regionem Samariæ, et Benjamin possidebit Galaad.

²⁰ Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israël, omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam: et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri.

²¹ Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau, et erit Domino regnum.]

Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 8 Jun 2026 from source files
dated 12 Dec 2025

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5